



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

78. An alienatio Reliquiarum includatur in prohibitione Paulinae de rebus Ecclesiae non alienandis? Et explanatur particula praesumpserit, postea in dicta Extrav. Pauli II. quae denotat temeritatem & non ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Et an peccent laici, si absque contemptu eos tangerint?
Et an de illa excommunicatio sit Pontifici reservata? Ex
 p. 3. tr. 6. & Misc. 2. Ref. 12.

§. 1. **N**egativè respondet Pater Azorius, tom. 1. lib. 9. c. 9. p. 9. q. 5. ver. quæres, etiam si vendatur tantum ratione materiæ, ex quadam constitutione Greg. XIII. quæ incipit, *omni arte audito*, &c. apud Quarantam in summ. Bullary, ver. *Agnus Dei*. Latorum de libello, c. 23. n. 88. & alios.

2. Verum si sint albi, & non minio confecti, possent vendi sine vilo scrupulo ratione materiæ, ac laboris, & impensarum in eis asportandis, docent Flavius Cherubinus, in comp. Bull. tom. 2. conf. 2. Gregorij XIII. schol. 1. Naldus, in summa, ver. *sacilegium*, n. 9. Homobonus, de exam. eccles. part. 2. tr. 9. c. 5. q. 9. Villalobos, in summ. tom. 2. tr. 37. diff. 1. n. 4. Suarez, de Relig. tom. 1. tr. 3. lib. 4. c. 14. n. 6. Bonac. tom. 3. disp. 2. q. 2. punct. 2. n. 2. Sanchez, in summ. tom. 1. lib. 2. c. 43. n. 27. qui etiam optimè notat præfatos Agnos Dei retineri posse, postquam in excommunicationem incursum est eos depingendo; prohibetur enim in constitutione illa pingere, vel retinere Agnos depictos ad vendendum, secus autem si depicti retinerentur non ad vendendum. Et hanc opinionem Sanchez, probabilem putat Bonac. ubi supra, quam novissimè tenet etiam Scott. in Bull. Pont. theore. 330. & Fagundez, ubi infra; quidquid in contrarium teneat Raynerius, in catal. cens. c. 9. excom. 64. in fine, cum aliis. Vnde ego olim consuli, potuisse quem in donum recipere, & retinere Agnum Dei depictum, & miniatum.

3. Nota etiam cum Azorio laicos non graviter peccaturos, si absque contemptu dictos Agnos tangerent. Imo ego puto cum Sanchez, nullam esse culpam illos tangere, eo quod obtinuerit, ut à laicis etiam feminis tangerentur.

4. Et tandem non retinebo hic describere verba Vincentij Filliucij, tom. 1. tr. 14. t. 6. n. 93. ubi sic asserit: Hæc excommunicatio à multis omittitur, & nescitur, ut propterea crediderim extra Urbem non fuisse receptam: passim enim cernuntur Agni Dei depicti quos non est verisimile fuisse depictos cum licentia Papæ. Ita Filliuc. Verum Fagundez, part. 1. lib. 1. cap. 4. num. 25. docet hanc excommunicationem esse in viridi observantia; non est tamen Pontifici reservata, ut ex multis tradit Barbosa, de potest. Episc. part. 3. alleg. 50. n. 150.

RESOL. LXXVII.

An furantes Reliquias præter peccatum aliquam excommunicationem incurrant?

Et notatur quod Rome extat excommunicatio, ne Reliquia ex urbe extrahantur?

Et docetur posse sine vilo peccato ab Infidelibus Reliquias subtrahi.

Et an licitum sit Christianis & absque peccato Simonia emere ab Infidelibus Reliquias? Ex p. 10. tract. 14. & Misc. 4. Ref. 20. aliàs 18.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Azorius, tom. 1. lib. 9. cap. 8. quest. 10. ubi sic ait: Quæritur, an in Excommunicationem incidat, qui Reliquias Sanctorum ex loco Sacro in quo reconditæ, aut positæ sunt, furatur? Respondeo in cap. quisquis, §. Si domum 17. q. 4. esse constitutum: Si quis domum Dei violaverit, & aliqua sine licentia illius, cui commissæ esse dignoscitur inde abstulerit donec in conventu admonitus legitime satisfaciatur, sciat se communione privatum. Si verò post secundam & tertiam conventionem co-

ram Episcopo satisfacere recusaverit, nemini Fidelium miscetur. Hæc ibi. Ex quibus verbis deducitur donec satisfaciatur, hoc est, nisi prius satisfecerit, non posse Sacramentum altaris suscipere: iter verò ad id, nisi satisfecerit, esse Excommunicationem majore mulctandum. Ita Azorius.

2. Verum ego cum Magistris Lezana, in summa, Q. Regular. tom. 4. verb. Reliquia Sanctorum, numer. 3. Texeda in Theolog. Moral. tomo secundo, libro tertio, tractat. 2. §. 3. contr. 8. question. 2. numer. 37. contrarium sentio. Primò, quia non extat Textus, ex quo hoc intelligatur: nam cap. Quisquis inventus, verb. Si quis domum 17. question. 4. adductum ab Azorio, non loquitur de pena Excommunicationis, sed de separatione ab Eucharistia vfu. Secundo, quia ut bene Cæteranus, Sum. verb. Excommunicatio, Sotus 4. d. 22. question. 2. artic. 3. docent eam excommunicationem etiam si extaret, per non vsum non valere. Vide etiam Baucium, in Miscellan. tom. 2. opusc. 4. quest. 30 qui bene docet, posse Reliquias ab Infidelibus subtrahi, quia sunt in iusti possessores, & si Reliquia essent apud infideles etiam tunc ad redimendam vexationem posse adhiberi pretium, ut possideantur, ac retineantur à Fidelibus. Ratio est, quia Infideles vexant Fideles retinendo injustè Reliquias illas; ita Philarchus, & Vgolinus, quos citat, & sequitur Sanchez, in summa, tom. 1. lib. 2. c. 43. n. 22. Adverte tamen, quod Romæ extat Excommunicatio, ne Reliquia ex Urbe extrahantur.

3. Nota etiam hic obiter, quod optimè docet Sylvest. verb. Simonia, question. secunda, Vgolinus, de Simonia, tab. 1. capite 38. numero quinto, Tott. 2. tom. 1. question. 94. articulo tertio, licitum esse Christianis ab Infidelibus Reliquias emere, quia licet absolute loquendo, Reliquias emere, vel quæstus causa illas venditioni exponere, sit aperta Simonia; ut habetur capit. fin. de Reliq. & Venerat. Sancti. & in Tridentino, in Decreto de invocation. veneration. & reverent. Sancti. & quia res spiritualis pretio æstimatur, & emitur; tamen quando ab Infideli emuntur, emptio illa formaliter non est emptio rei spiritualis, sed pretio dato redimere vexationem, quam exerceret Infidelis Reliquias injustè retinendo.

RESOL. LXXVIII.

An Alienatio Reliquiarum includatur in prohibitione Pauline de rebus Ecclesiæ non alienandis?

Et explanatur particula præsumptis posita in dicto Extravag. Pauli II. qua denotat reverentiam, & non comprehendit eum, qui bona fide ignoranter, aut imprudenter, seu inadvertenter facit aliquid contra dictam extravagantem. Ex part. 10. tract. 14. Misc. 4. Ref. 23. aliàs 21.

§. 1. **Q**uidam Prior bona fide donavit cuidam Magistro partem Reliquiæ insignis; quæ sit à me Provincialis, an deberet declarare incidisse Priorem in Censuras, & penas dictæ Paulinæ? Et respondi negativè, quia licet opinio Doctorum asserentium, alienationem reliquiarum esse inclusam in prohibitione Paulinæ de Rebus Ecclesiæ non alienandis, sit communior, probabilior, & in praxi consulenda; tamen contraria sententia, ut ego * alibi adnotavi, non caret probabilitate. Verum supradictus Provincialis instabat auctoritate Patris Palqualigi, qui nominatim contra me asserit in Q. Q. Can. Cent. 2. q. 181. §. Numero secundo, hanc sententiam non posse ut probabilem

bilem sustineri. Sed ego respondi quod Pater Pasqualis exessit in censura hujus opinionis; & idcirco merito contra illum novissimè nominatum insurgit Bordonus in *Miscellaneis*, *discipline* 494. per totam; ubi responder, & infringit omnia argumenta, quæ Pasqualis ubi supra in favorem suæ sententiæ adduxerat. Et idcirco sententiam asserentem alienationem Reliquiarum non esse prohibitam in Bulla Pauli I. præter Riccius, Castum Palaum, & alios à me alibi adductos, tenet Antonellus de *Regimine Ecclesiæ Episcopalis*, tom. 1. lib. 1. cap. 4. §. 7. num. 16. Barbosa, de *Potestate Episcopi*, parte 3. allegat. 95. numero 39. & me citato Pellizzarius, in *Man. Regular.* tom. 2. tract. 6. cap. 8. num. 91. ubi sic ait: Quæres an alienatio Sanctarum Reliquiarum cadat sub hac prohibitione, ita ut non possint à Regularibus alienari sine debita solemnitate? Respondetur non cadere, quamvis, si perpetuæ sepulcræ sint traditæ extrahi non possint, & aliis tradi absque consensu Sedis Apostolicæ. Ratio nostræ responsionis est, quod in hac prohibitionem non comprehenduntur, nisi bona temporalia pretio æstimabilia: Reliquiæ autem Sanctorum sunt supra omnem temporalem æstimationem, nec pretio æstimari possunt. Ita ille.

2. Sed etiam stando in opinione Pasqualis, & aliorum, puto dictum Priorem non incidisse in penas latis contra alienantes absque assensu Sedis Apostolicæ, quia Paulus I. in dicta Extravagante utitur verbo, * *Præsumptis*, quod dolum, & temeritatem denotat: ut notat Baldus *consul.* 486. n. 5. in *Ref. volum.* 4. Barbat. *capit. Prudentiam*, notab. 1. de *Offic. de deleg.* Decius in cap. 2. sub numero 6. *versic. Secundo* principaliter, de *judic. Hippol. in leg. de Minore*, in *princip.* numero 39. *Digest. de quest.* Iacobi de *Craffis* *disputat.* in *anreus decision.* lib. 1. cap. 13. num. 72. Navarr. in *Man. cap. 27.* numero 156. cum sequent. Menoch. *de accus. cons.* 763. num. 10. Sanchez de *Matrimonio*, lib. 9. *disputat.* 32. num. 38. Lotter. de *re benefic.* lib. 2. *quæstione* 14. a num. 54. Rot. in *Aquet. irregularitatis*, 14. Maj 1607. coram Cardinali Cavalerio. Erasim. à Cocher. de *Iurisdic. Ordin.* in *Exemptis*, lib. 4. *quæst.* 75. num. 4. Glor. *resp.* 12. numero 26. Vnde dispositio nem punientem aliquid præsumptum non comprehendere illum, qui id bona fide ignoranter, aut imprudenter, sive inadvertenter facit, tradunt Navarr. in cap. *Accepta de restitut. spoliat. opposit.* 8. numero 33. & in *Extravagant. de datis & promissis*, num. 35. *versic. Audeat*, sive *presumat*, & in cap. *Statuimus* 19. *quæst.* 3. numero 62. in *fine*, *vers. Nota* septimò, & in *Manual. cap. 27.* num. 155. in *fine*. Avendan. de *exequend. mand.* lib. 1. cap. 4. num. 38. *vers. Verum* sicut *penè*, quos refert Cened. ad *Decretal. collectan.* 45. n. 3. At in casu nostro Prior supradictus operatus est bona fide, & cum auctoritate Doctorum: ergo in Paulinæ penas incidisse minimè dicendum est: Et ita mecum tunc senserunt multi viri docti de hoc consulti.

RESOL. LXXIX.

An Superiores in contractu licito possint absque solemnitate obligare bona Ecclesiæ sub hypotheca generalis, non obstante Paulina, & Decreto Urbani VIII.

Et an pecunie ad cambium, vel mutuo accepta cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis comprehendantur sub Decreto Sacre Congregationis, & Paulina Ambitiosa?

Et An obligando tantum fructus bonorum immobilium,

Tom. V.

& mobilia pretiosa possit Prælati, & Capitulum Ecclesiæ, seu Monasteriorum absque solemnitate, quam jura ad alienationem bonorum Ecclesiasticorum requirunt, pecuniam mutuo accipere? Et an hoc procedat, si mutuum sit acceptum absque ulla obligatione, aliquid pro eo solvendū, alioquin non possit fieri, etiam si tantum fructus, & mobilia, & non immobilia, & pretiosa obligentur? Ex part. 10. ff. 16. & *Misc. 6. Refol.* 53.

§. 1. Affirmativam sententiam tenet Bordonus in *Conf. regul.* tom. 1. *resol.* 27. num. 13. Pyrrhus Corradus de *Dispens.* lib. 9. c. 9. num. 31. in *fine*, & Doctores, quos citat, & sequitur Ciarlinus tom. 2. cap. 183. n. 107. ubi sic ait: Certum est, Prælatum Ecclesiæ, vel Capitulum Clerici tam Regularis, quam Sæcularis, non posse speciali hypotheca obligare bona stabilia, vel pretiosa pro quocumque contractu, sive mutui, sive empti, vel alterius generis sine licentia Pontificia, & juris solemnitate, quia specialis hypotheca est à jure prohibita, ut habetur in *cap. nulli*, ubi Bero. num. 9. de *reb. Eccles. non alien.* & in §. nos igitur, in *fin.* & §. quia verò, in *auth. de non alien.* & *permut.* Verum si loquimur de contractu celebrato ab Ecclesiâ, ejusve Prælato ex aliqua iusta causa, non prohibito per dict. Extravagant. *Ambitiosa*, neque per dictum *cap. nulli*, aut alias jure, ut est emptio, venditio, locatio, mutuum, commodatum, & similia quæ, permittuntur etiam Prælati Ecclesiastici ob Societatem humanam conservandam; nimis enim incommodum esset Ecclesiarum Prælati, & Ecclesiasticis, si nullo modo contrahere possent, tunc si hujusmodi contractui licito, & permissio per se, accederet hypotheca generalis omnium bonorum Ecclesiæ, vel Monasterii, utique talis obligatio tenet sine aliqua solemnitate assensus Apostolici: quia leges hypothecam prohibentes loquuntur de hypotheca nullum supponente contractum licitum ex parte hypothecantis, non autem quando contrahens Ecclesiasticus suo contractui licito, & ex causa iusta adjungit hujusmodi hypothecam; quia tunc illa sequitur naturam contractus, cui apponitur, sicut accessorium suum principale, & idcirco sicut permittitur ille contractus licitus emptiois, vel mutui, aut similibus, sine beneplacito Apostolico, ita generalis hypotheca ei accessoria, & sic communiter tradunt omnes, quod obligatio generalis bonorum Ecclesiæ contracta occasione emptiois, vel contractus permissi sit valida absque assensu Apostolico, ut latè probat Bero. in *dict. cap. Nulli*, num. 11. 12. 13. 14. & 15. de *reb. Eccles. non alien.* Covarr. *var. resol.* lib. 2. cap. 16. num. 7. Redoan. d. *tr. quæst.* num. 16. n. 12. & *quæst.* 51. cap. 29. num. 12. ubi habetur, quod Prælati contrahendo potest generaliter pro observantia contractus obligare bona Ecclesiæ sine licentia Episcopi, prout in praxi servatur; sic etiam tenet Molin. de *just. & jur. tr. 2. disp.* 466. in *princ.* Bonaci *disput.* 3. de *contract. feud.* *quæst.* 8. part. 4. num. 32. in *fine*. Ferdin. à Castro Palao *moral. part.* 2. *tit.* 12. *disput.* *unic. punct.* 15. §. 2. num. 12. Plures refert Barbosa in *collect. ad d. cap. Nulli*, num. 5. de *reb. Eccles. non alien.* Latè etiam Bordon. *dict. resol.* 27. num. 4. 13. 58. ubi rationes adducit. *Lezan. in summ. quæst. regular. verb.* *alienare*, num. 5. *post medium*, *verb.* An autem possint, tom. 3. ubi ponit rationes; & ita censuit Rota in *Amerina bonorum* coram Eminentissimo Verospio, 19. April. 1645. Et coram Rois 21. Februario 1642. & 2. Junij 1645. §. Nam licet, ubi ponit rationes. Et ita fuit decisum per sacram Congregationem Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, sub die 14. Julij 1638. ubi censuit in prohibitione nuper edita de rebus Regularium non alienandis, non esse comprehendendam hypothecam generalem; & ratio est, quia